

inheret nobis? Quid si gloriosa virginum regina superneque claviger aulę nec non hic institutor singularis, ad iracundiam provocati nostrorum enormitate peccaminum, aut spurcitiis fabricę senescentis irritati, horum edituorum se decreverint famulatu emundari?

Postmodum, illud recolens Ambrosianum: 'Tu es', inquit,

'Deus, creator omnium;
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem sopore gratię,
Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesque fessas allevet
Luctusque solvat anxios',

lecto se collocat, quasi ingruentem leniturus dolorem.

49. Preterea, inlucescente splendore aurorę, omnium officinarum septa et quicquid lignę materiei inerat in favillam et cinerem sunt redacta. Plurima etiam sacri templi utensilia ad nihilum flamma vorante sunt reversa. Ille autem, simulati agens requiem somni, internos aestus dum altius excoquit¹⁾, iterato flentium inquietudine turbatur. Unde Christi signo munitus, iterum atque iterum in spiritales filios humectantia oculorum deflectens lumina, in his verbis aperit ora: 'Ponantur lacrimę', ait²⁾, 'fratres, et quid nobis curandum sit, perpendatur unanimiter'. Post haec corpus sanctissimi patris Benedicti inde levare precipit. Levantes autem quasi dekalogi ferentes archam, ipse instar Iosue vestigia subsequitur Israhelis sibi a Deo commissi. Transgredientes autem Bonodium³⁾ flumen, ut ita dixerim, alterum Iordanen nostrę habitationis repetimus terram, tendentes contra septemtrionalem ipsius monasterii plagam, fixoque tabernaculo ex oblico portę introitus, atque sanctorum pignora locantes interius ad tempus illic castrametati sumus.

50. Deinde, delegatis sacri cultus ministris, hora instante refectionis, tinnitu cimbali insperatum ad prandium sumus adsciti; ubi cum de more lectio recitaretur a lectore, et pius pastor in medio suarum residens ovium vultus exploraret potius lamentantium quam reficientium, manu silentio indicto, huiusmodi sermone consolatur eos: 'O amantissima spiritualium cohors filiorum, quid adhuc anxii fluctus lacrimarum vestrorum a fontibus profluunt oculorum? Cur paternę consolationis monitis aurem cordis non accomodatis? An ignoratis quid veridicus Paulus dixerit? 'Dominus', inquit, 'corripit, quem diligit, castigat omnem filium, quem recipit'⁴⁾; et propheta: 'Dominus mortificat et vivificat'⁵⁾; rursus alias: 'Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt'⁶⁾. Ipse autem dominus,

1) Hs.: excoquit. 2) Hs.: lacrimait. 3) La Bonnée, kleiner Nebenfluss der Loire; heisst Bonodia: Miracula des Aymoin, III, 9, ed. Certain p. 152. 4) ad Hebr. XII, 6. 5) Reg. I, II, 6. 6) Psalm. XXII, 4.